

IN NOMINE S. SANCTÆ TRINITATIS!

מסורה

SIVE

TRADITIO MANUALIS

LEVITER DELINEATA,

Nec non

Cum Consensu & Adprobatione
Amplissimæ Facultatis Philosoph.

In Illustri & Regio Athenæo Aboënsi,

SUB UMBONE,

Adm. Reverendi & Præclarissimi,

DN. M. ISAACI

Ⲡ ⲓ ⲕ ⲉ ⲙ ⲁ ⲛ ⲛ

Ling. Orient. Prof. Regii & Ord. Fac. Ph.

h. t. Decani maximè spectabilis,

Sobriè Φιλολογῶν censura modestè submissa,

die 18. ante Cal. Junii 1700: horis &

loco consuetis,

Ab

ERICO CHOSELIO A. F. Aboënsi.

Exc. Jo. Wallius.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

SUMMÆ FIDEI VIR,

Reverendissime in CHRISTO

Pater ac Domine,

DN. JOHANNES
GEZELI,

S. S. Theologiæ DOCTOR Excel-
lentissime & Celeberrime, in-
clutæ Diœceseos hujus Aboënsis
EPISCOPUS Eminentissime, Regiæ
itidem Academiæ PRO-CANCELLARIÆ
Magnificentissime, nec non Con-
sistorii Ecclesiastici PRÆSES Gravif-
sime, Domine, Patrone & Mæce-
nas maxime, submissa devo-
tione æternùm suspi-
ciende.

V Ir Boreis, clarum decus & lux inclyta,
terris,

Pieridum in pratis, cujus & aura viget.
Nominis & quoque honos, longe celebratus
in orbe

Vir pietatis amans Thejologumque jubar.
Portus amœnus eis nec non tutela fidelis,
Ardua Thespiadum qui juga montis amant,
Suscipe quæ pietas affert tibi dona merenti
Sint longè meritis inferiora licet.

Pauper Musa adfert tenues pro messe ma-
nipulos,

Munera non tantos digna subire lares
Qua tamen usque soles bonitate fodere cli-
entes,

Hæc sperare etiam me meliora jubet.
Vive Deo Patriæque Tibique Tuisque superstes
Proficius cunctis Castaliisque bonus.

Reverendissimi in CHRISTO
Patris ac Domini

humilimus cliens

E. Choselius!

*Adolescenti Ingenuarum Artium Assēctatori
Fidelissimo, Ornatissimo*

DN. ERICO CHOSELIO,
De MASORA JUDÆORUM, proprio Marte,
differenti; Amico, Commiliti & Con-
terraneo adamando:

Gentis, quem scripsit, judaicæ indu-
stria, Librum,
MASORAM dictum, sedulitate pia;
Codicis is sacri Criticam versus quoad o-
mnes,

Atque Characteres, ritè docere potest.

Indefesso tu studio, stat, doctè Choseli
Indagare studes, cui sine Morte decus,
Non possum quin ex animo tibi grater
& optem
Auspiciis cunctis Fata benigna Tuis !!!

*L. Mq̄. quamvis impeditior
gratulabar*

Dab. raptiss. Aboæ

d. 4. Maii.

A. 1700.

SIMON Tälpo/
Met. & Log. Prof. Ord.
P. P.



CANDIDO LECTORI SALUTEM!

Mibi, exercitium hocce Academicum
publicæ dare luci, submisso meditantè
animo, materia hæc præfenti substra-
ta dissertationi, visa, primo quidem intuitu, est
non adeo magnæ molis, ast penitus paulo evolu-
tam immanis laboris esse deprehendi. Nemo
itaq; nimis anxie & superstitiosè examinet sin-
gula discursui huic inserta, etiam si non arri-
deant; siquidem & cæteri, iique hæud pauci,
qui, in materie hujus indagatione desudarant,
veritatis tamen compitam non semper attige-
rant. Difficilimum enim est asserente
Buxtorffio, in densa caligine umbram à
luce discernere, & veritatis lucem è
tenebris eruere, quales maximè in hac
materia sese offerunt. In ardua tamen
hæc palastra, eorum, quos me probabilioribus

rationibus, veritati similimis, congruentibus,
 que Chronologie, precessisse autumo, vestigiis
 insistere decrevi. Te itaque benigne Lector,
 haud d. digneris hosce primitiarum, tenui
 quidem stylo compositarum, fœtus, ad sœtuum
 morem, placidis aspicere ocellis, meque a Zoilis
 custoditum dare, exoratum accedo: eos enim
 haud deesse, quibus conamina hæcœ nauseam
 movent, non me fugit; propterea forte, quod
 nondudum societati huic Academice annume-
 ratus fuerim, verum illis hæcœ Poëtæ obvia
 porto ora:

Tempora labuntur tacitisque senescimus annis

Ergo

Utendum est atate, cito pede præterit ætas,

Et nunquam redeunt, qui periere dies.

Uts ut sit, omnibus tamen placere ne quidem
 cupio, siquidem id impossibile est, imo omni-
 bus placere qui studet, nemini tandem placet.
 Ast bonis placere mihi sat erit, hisce vale
 & fave.

MOMEN.

יחיה אנוי קראתיך כידתענני

Psal. 17. v. 6.

MOMENTUM PRIMUM.

OMnium, diffitas hafce per orbis oras, quæ cernere dantur, rerum, nulla tere excepta, ut mediis extrinsecus alsumptis carere, ast si carerent; diu conſervari, nequeant, indoles est. Ut enim laceffitis, variis laborum labyrinthis viribus, quotidiano quo reficiantur, & ad pristinam suam redeant conditionem, alimento est opus, Corpusque ne ab aëris intemperie, neve alia vi quacunque externa lædatur, indumentis muniri necesse est: sic aliæ etiam res medium, quo aſſerventur, quoque ab injuriis *illatis* vindicentur, expetunt, quarum in numero lacer quoque Codex nomen profiteretur suum: Nam quemadmodum aliæ, cujuscunque demum conditionis ac status fuerint, res, externa aliqua indigent ope, ita quoque hic suos desiderat defensores, reprimentes non Zoilos solum, quibus nihil, proprio excepto facto, ve-

rectum, verum etiam authenticam ejus contra purpuræ Romanæ adultores, quam haud raro infringere avent, animose defendentes: ad hanc itaque supplendam vicem, singularis Dei T. O. M. omnium bonorum perfectorumq; donorum largitoris bonitas, præclaros è gente, sibi in peculium selecta, Judaica, prospexit viros, qui Herculeo labore, multisque curis, id egerunt, ut ei universale quoddam erratum sive corruptela, potuisset hactenus, vel posset post hac, ad consumptionem usq; seculi minimè inferri, quin e vestigio percipi, pristinaeque restitui queat integritati. Opus autem ita adornatum, nomine insignitur Maforæ: cujus nomen & quatuor causarum genera, causam scilicet efficientem, materiam, formam, finem, mentis accuratiori paulo indagine, summi Numinis suffulti gratia, pensitabimus.

MOMENTUM SECUNDUM.

Cum gratam fructuq; suo minime crentem rem, Philosophi omnium seculo.

culorum, in præmittenda ὀνομαλογία, *πραγμαλογία*, orbi præstiterint literarum, siquidem nemini non est notum illud tritum: *verba sunt nota rerum*, res impendio magis citiusque innotescunt, si verba penitus perspecta & origine sua probè cognita fuerint: imo ratio nominis non discussa, discentes facile turbare potest, at eâ discussâ, facilius in ipsius rei provehimur perceptionem. Ideoq; nos, ne methodi, prudenti ejusmodi consilio susceptæ, violatores videamur, disquisitionem ὀνομαλογίας primum aggredi, consultum ducimus: ea autem *ἔτυμολογία*, *ὀμωνυμία* & *ἑτερονυμία* expenditur. De originatione vocis, quam disputationis hujus exhibet frons, tanto minus sumus solliciti, quanto facilius è thalamis suis eruitur, ne vero plane intactam relinqvamus, dicimus eam natales suas debere verbo ἴδιον quod tradidit significat. *ὀμωνυμίαν* quod attinet, sciendum est verbum hoc ἴδιον dici de personis & rebus, quæ de manu unius in manum alterius, aut de potestate

restate hujus in potestatem illius deduntur. Hinc El. Lev. præf. 3. In genere verbum $\lambda\omicron\upsilon$ dicitur de re, quam homo tradit, sive committit in manum alterius, ut eam pro lubitu recipiat in potestatem suam. 2. Dicitur de rebus animo conceptis, de doctrina & scientia, de consiliis & secretis, quæ unus alterum docet, quæ quis alteri revelat, cognoscenda proponit, commuicat & quasi in manus tradit. 3. Sumitur pro doctrina critica à patris sapientibus tradita, circa textum sacrum Hebræum, genuinæ ejus lectioni conservandæ interserviente, & hæc est quam resolvendam nobis assumpsimus. Synonyma hujus vocis enucleare è re non ducimus.

MOMENTUM TERTIUM

Exposita breviter, pro ingenii talento, $\acute{\omicron}\nu\omicron\mu\alpha\beta\lambda\eta\gamma\iota\alpha$, methodus jam efflagitat suscepta, ut ipsam aggrediamur $\pi\epsilon\gamma\mu\alpha\theta\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\upsilon$, in qua rei hujus natura altius indaganda venit, omissis itaque verborum ambagibus, statim definitionem

cum

7
cum Buxt. Com. Mal. p. 6. talem exhibe-
mus: *Masora est doctrina Hebræorum critica,*
qua Scripturæ S. versus, voces & literæ nume-
rata, omnisque ipsarum varietas notata, &
 suis locis cum singulorum versuum recitatione
indicata est, ut sic constans & genuina ejus le-
ctio conservaretur, & ab omni mutatione aut
corruptione æternum præservaretur, & valde
premuniretur. In datæ definitionis expli-
catione, duo observatione digna occur-
runt, conceptus scilicet convenientiæ,
& disconvenientiæ, ille est doctrina, hic
à causis petitus est, quas in sequentibus
exponemus. Et primum quidem cau-
sam efficientem, quam expendentibus
nobis, plurima sese obvia offerunt com-
pita, ideoque semita ad veritatis aulam
ducens, haud facilis est inventu, tamen
ad clarorum quorundam virorum vesti-
gia, rectam calcantium viam, (ut nobis
quidem persuasum habemus) aspici-
entes, pedem ulterius promovemus.
Quidam Judæos, quos circa annum
Christi 508 Tiberiade, civitate Palestinæ,
ad opus istud conficiendum, convenisse
te-

8
ferunt Masoræ constituunt authores; cu-
jus sententiæ patroni sunt Gordonus
Hunthleus, Aben Esra, Elias Levita, Ju-
dæus Germanus, in præf. 3. libri Maso-
reth Hammasureth, ubi etiam Jonam
Grammaticum (qui post 1000mum a
Christo nato annum floruit) pro sen-
tentia sua adducit, quorum tamen sen-
tentiam Chronologia non admittit, imo
de Schola Tiberiensi apertè reclamatur.
Ea enim, mortuo Rege Jehuda sancto,
circa annum Christi 230, studia litera-
rum in Judæa dissipata, Scholasque in
Babyloniâ translatas esse docet. Et li-
cet ad tempora usque Hieronymi (cir-
ca annum 400) qui Tiberiade doctum
Judæum adscivisse se ait, opera cujus in
interpretatione usus fuerat, in præf. 108
reliquias doctorum ibi fuisse virorum
probabile sit: ultra tamen istud tempus,
ne memoria quidem Tiberiadis, multo
minus tam celebris ibi institutæ Synodi
ulla alicubi mentio injicitur. Alii ori-
ginem ejus beato Mosi tribuunt, sic El.
Lev. præf. 3. p. II. *hinc מסורת dicitur,*
quod

quod ea sapientibus, uni ab altero (initio facto à Mose, ut paulo post p. 12. sequitur) ad Esdram usq; ad societatem ejus tradita fuerit. Alii adhuc sunt qui originem ejus, ad אנשי כנסת הגדולה viros Synagogæ seu Consistorii magni, reducunt, cujus Præses Esra Sacerdos, legis Divinæ peritissimus, Esr. 7. 6. Συμμύστæ & συνέργοι, Haggæus, Zacharias, Malachias, Nehemias, Zorobabel, Sacerdos Jeschua, cæterique primarii sacerdotes & levitæ, Ducis Zorobabelis, ex Babylonia comites, numero ducenti viginti, Esr. 8. v. 20. Sic enim libri Cosri auctor part. 3. p. 26. dicit: *Et quid videtur tibi de eo, quod ordinarunt vel instruxerunt (Viri Synagogæ magnæ) Scripturam distincti-
one in versus, Punctatione, Accentibus, Majoris de observandis scilicet plenis & defectivis, eousque, ut etiam literas numerarint, & explicarint, quod, litera Vau in voce וָוָו media sit litera legis; de vocibus item, irregulariter cum Kametz vel Patack, Tzere, vel segol punctatis, &c. Eandem fovent sententiam R. Gedal. in Schalsch. Rabb. p. 21, 22.*

R. Azar. in Meor En. c. 59. p. 179. Elias præf, Ryth. 1. & præf 3. R. Chajim præf. in Bibl. R. Mos. Bar. Nachman præf. in leg. Imo Buxt. in Mas. p. 130 hanc, communem Hebræorum ait esse sententiam, cui etiam nos, calculum adjicimus nostrum. Verum, quidam dicunt ambas posteriores sententias, suo posse stare talo, ita tamen, ut initium, tanti tamque laboriosi operis, Mosi, continuatio vero Esræ feratur accepta. De qua Maloræ successione, id est, genuinæ scriptiōnis & lectiōnis Bibliorum, per multas continuata ætates, auctor libri Cosri p. 26. scribit: *Sine dubio custodita est in cordibus, ratio תִּסְּ Patack, Ka. metz, Chirech, & extensio, & Schva, & accentus. Et quidem in corde sacerdotum, quia ipsis necessarium fuit ad cultum, & ad docendos filios Israel. Et in corde Regum, quibus in mandatis datum fuit, ut semper secum haberent (librum legis) eumque legerent omnes dies vitæ. Et in corde judicum, quia necesse habuerunt in judiciis. Et in corde Syne-drii quibus opus habuerat, propterea quod scri-*
ptum

ptum erat: Et custodietis & facietis, quoniam
 haec est sapientia vestra & intelligentia
 vestra. Et in corde hypocritarum; ut extollant
 se in iis, vel ea magnifaciant. Et posuerunt
 septem Reges, & accentus, in signa dispositionibus
 illis, quæ per Kabbalam inde a Mose eo usque
 (ad tempora Esræ & Synedrii magni,
 ut ex Rab. Juda Muscati cl. Buxt. de
 orig. punct. p, 29 explicat) propaga-
 runt, vel transcripserunt, viri quidam,
 quomodo supplendum putat, ex vetusto
 aliquo exemplari, R. Azarias cap. cit.
 in Meor. En. Uno verbo: Mosorethæ
 fuerunt, quasi centeni & milleni in sin-
 gulis generationibus, per annos multos,
 inquit. El. præf. 3 Masor. Auctor fuit
 Moses, ad legis nitorem perficiendum;
 propagator Esra, ad amissum restituen-
 dum; conservatores Tiberientes, quo-
 rum opera, quæ ante, traditioni orali
 committebantur, jam literis sunt tradita.
 Ita prima, levi penicillo absoluta pensio-
 ne, methodus suscepta, nos jam trans-
 itum ad materiam facere (felici utinam
 sidere) suadet.

MOMENTUM QUARTUM

Materia autem, quam nobis exponendam assumpsimus, annotationes Criticas contextus sacri respicit, utpote primo literas, quarum tum qualitas in figura, tum quantitas in numero, a Masoræ observata est Auctoribus; figura quidem, cum præter communem usum, sive majuscula, sive minuscula, sive inversa, sive suspensa, sive punctata, sive aliter affecta fuerit: & ex hisce Judæi, singularia quædam exsculpunt mysteria, ut Deut. 6. 4. in voce יְיָ audi, scribitur י majusculum, ad excitandos (ex censura Judæorum) animos, ad magnæ illius doctrinæ, considerationem. Ibidem ו in וְיְיָ ad indicandum Dominum illum æternum, esse Deum unicum, nec alium esse Deum, præter ipsum. 1 Chron. 1. v. 1. in voce יְיָ extat י majusculum. Gen. 1. v. 1. in בְּרֵאשִׁית , ב. Illud, ut esset memoriale, primi & unici hominis, unde generis humani primordia ducere, ejusque historiam pertexere, ibi Auctor statuebat. Hoc vero ad consideran-

dam

dam magnitudinem & sublimitatem operis creationis, quod duplex iudicatum, cœli scilicet & terræ, quod simul litera כ valore numeri sui indicat. Psal. 84 v. 4 in voce קן scribitur ק majusculum, ad indicandum, magnificandam esse Dei providentiam, quæ se etiam ad minimas extendit aviculas, quibus industriam, nidum & domum sibi parandam, ubertim largitur, multo magis piis largiturum, ut in domo Dei habitent, etiam si ex ea, ut avicula ex nido, quandoque evagentur, ab hostili milvo expulsi. In voce שיר in principio Cantici Canticorum legitur ש, ad indicandū, quod sit laudatissimū & excellentissimum omnium Canticorum. Esth. 9. v. 29. in voce ותבתו scribitur ת, ad amplificandam auctoritatem, & urgendam perpetuam observationem mandati, scripto isto comprehensi, de instituendis annuis hilaris, Purim sive festi sortium, quæ in liberationem populi Judaici, & in exitum hostium Judæorum, ceciderant. Gen. 2. v. 4. In voce בהכראם scribitur ה minusculum

culum, ad indicandum fore ut omnia
 minuantur, & intereant. Job. 7. v. 5. in
 voce טַרְטָר scribitur ר minusculum, ad in-
 dicandum minutissimas partes pulveris,
 in quas corpus, post mortem redigitur,
 quasi dicas in nihilum. Deut 31. 27 in vo-
 ce מַמְרִים scribitur מ minusculū, ad per-
 petuam, Israelitarū ignominiam, notan-
 dam, quod ipso Mose, qui adeo mira-
 culosè, eos ex Ægypto eduxerat, vivo
 & præsentē, tantam DEO ingrati-
 tudinem exhiberent, præstando se non tantū
 מַמְרִים rebelles; sed & מַרִים acerbos, o-
 mnibus modis, unde alterū מ minusculè
 scriptum, quasi adesse & abesse posset, ut
 utrumq̄, eodem exprimeretur vocabulo.
 Dan. 6. 20. in voce בְּשַׁפְּרָא in summa vel
 prima aurora, פ minusculū, ad indicandū
 ad primam & vix parū lucentem auro-
 ram, Regem magno surexisse desiderio.
 Cæterum quidam, qui literas & nume-
 ros, penitus scrutati sunt, aliam litera-
 rum, majuscularū & minuscularum, de-
 derunt causam, esse se. quamlibet literam,
 terminum, certi numeri literarum, vel a
 præ-

præcedenti majuscula, aut a principio li-
 bri, vel alio loco, olim ex peculiari indice
 noto. Veluti; ה minuscule in voce
 בהברות Gen. 2. esse terminum numeri,
 a principio libri, quod scilicet sint huc-
 usque, literæ IIII. Inversum Nun scribi-
 tur Num II. in voce כמתאננים, ut esset
 symbolum perpetuum perversitatis po-
 puli, inter tot illustria signa liberationis,
 & maximorum beneficiorum DEI, a-
 cerbè quiritantium, ad declarandam in-
 gratitudinem & contumaciam suam. Jud.
 18 v. 30 In voce מנשה legitur Nun sus-
 pensum, de quo, tale iudicium, apud
 Talmudicos fertur; An gersom filius
 Menassis fuit, & non potius Mosis? si-
 cut scriptum est: 1 Chron. 23. 15. Filii
 Mosis fuerunt Gersom & Elieser, sed
 propterea, quod fecit opera Menassis,
 appendit eum scriptura familiæ Menas-
 sis, Bathra fol, 109, 2. voluit Rabba
 bar bar Channa, cui hæc proposita fuit
 objectio, Prophetam studio haud voluisse,
 nomine filii Mosis, Gersonem insi-
 gnire, siquidem ignominiosum id Mosis
 fuiss.

fuisse, habuisse filium impium, sed
 eum filium appellat Menassis, litera
 tamen ך̄ supernè suspensa, in signum
 eam adesse vel abesse posse, & sit vel
 filius Menassis vel Mosis, Menassis stu-
 dio, & imitatione impietatis; Mosis pro-
 sapia. Job. 38. v. 15. in voce מרשעים li-
 tera ך̄ elevata est. De qua Talmudi-
 ci ita: Quare litera ך̄ vocis מרשעים sus-
 pensa est? quum homo fit ך̄ pauper
 infra, fit quoque ך̄ pauper supra. San-
 hedrin fol. 103. 2. id est, exponente,
 Buxt. 42. p. quando ך̄ improbus, ob
 improbitatem suam, exosus fit, in hoc
 mundo inferiori, probis, exosus quo-
 que in mundo superiori fit DEO, quod
 ך̄ sublatum denotat, & sic manet ך̄
 pauper, privatus unico, & vero bono
 lucis cœlestis, in qua pii vivunt & gau-
 dent æternum. De causis harum diver-
 sitatum, nobis iudicium Buxtor. appo-
 nere placet, quod sic audit: *Cause hujus
 diversitatis non est dubium, quin priscis illis
 sapientibus, dignæ & justæ fuerint, sed quas,
 exilia varia, & calamitates gravissimæ poste-*
rorum,

rorum, vel oblivione deleverunt, vel in commenta
 varia, & inania mysteria, ferè converterunt.
 In genere tamen illa, talia monuerunt, ad ma-
 jorem, & accuratiorem, presentis rei considera-
 tionem, & arcanum quendam sensum, cujus no-
 titia, orali traditione propagata, inter priscos
 illos fuit, donec Scholæ meliores eversa, & docto-
 res fugati, distracti, & penitus tandem sublati
 fuerunt, ut sic ista doctrina, scripto non com-
 prehensa, tota ferè interciderit. Figure tamen
 istæ diversæ conservatæ fuerunt, ceu prisca sa-
 pientiæ externa monumenta & testimonia. Tan-
 tum de qualitate literarum. Quantitas
 etiam literarum, & quidem omnium
 librorum Sacræ scripturæ, a Criticis ob-
 servata est, unaquæque scilicet, quoties
 occurreret litera, quæ cujuslibet libri aut
 capituli media esset. Hinc prout ex re-
 liquiis, quæ de Masora hodiè prostant,
 colligimus, Lev. II. v. 42. ad literam γ
 in voce γ Masora notat, quod litera γ
 vocis γ , sit medietas legis in literis;
 quæ Masora a Talmudicis confirmata
 est, in libro Kiduschin. Psal. 80. v. 14. lite-
 ram ψ in voce ψ mediam, in libro

Psalmorum esse, annotarunt. Lev. 10. 16. וַיִּשְׁמַע אֱלֹהִים וַיִּשְׁמַע אֱלֹהִים mediam vocem esse legis, observavére. Lev. 13 v. 33. וְהָיָה הַמִּשְׁפָּחָה medium in lege versum. De hisce Talmud; in libro Kidduschin, ita loquitur cap. 1. fol. 3. *Quæsit Raf Joseph, וְהָיָה הַמִּשְׁפָּחָה, pertinet ne ad hanc vel ad illam partem? respondit, afferamus librum legis, & numerabo illas. Nunquid non dixit Rabba barbar Channa, eos (priscos) non recessisse inde, donec numerassent eas. Tum ille: ipsi ait exercitati fuerunt in literis defectivis, & redundantibus, nos non sumus sic exercitati. Ulterius quæsit Raf. Joseph: versus וְהָיָה הַמִּשְׁפָּחָה est ne referendus ad hanc vel ad illam partem? respondit Avai: nū etiam versus non poterunt numerari? nec in versibus numerandis sumus exercitati. Adveniens autem Raf Acha bar Ada dixit: In occidente (Palestina) distinguunt hunc versum in tres pausas, & dixit Dominus ad Moysen: ecce ego venturus sum ad te in densa nube, &c. Exod. 19. v. 9. Amplius docuerunt Rabbin: 5845 versus sunt in libro legis: plures habet Psalmorum liber 8, pauciores*

Chron.

Chron. liber 8. Carmine, quoties una
 quæque litera, in contextu reperiretur,
 Hebræo, expressit Raf Saadia Gaon, cir-
 ca annum 927, quod tamen obbreuitatis
 studium, hoc loco inferere non licet. Vi-
 deatur Joh. Buxt. Comm. Mas. & Hug.
 Brug. Com. in Dan. p. 51.

MOM. QUINTUM.

DE inventione autem punctorum vo-
 calium, varia variorum prostant ju-
 dicia: quidam enim eam Adamo ferunt
 acceptã, utpote R. Azar in Meor. En. c. 59.
 qui puncta, literis esse coæva, oratione
 probat prolixa; verum progressu tem-
 poris, cum homines, ex quotidiano
 loquendi usu, etiam absque punctis ritè
 legerent, sub templo primo plerosque
 de vulgo, non omnes, oblivioni tradi-
 disse, tumque ab Esra in usum revocata.
 Dehinc, cum sub templo secundo, lingvæ
 Hebrææ obliviscerentur, & Aramææ
 advevissent, adeo ut & in vulgari usu,
 & in sacris, ea uterentur lingua, de no-
 vo intercepta quasi esse, & non nisi apud

singulares quosdam, notitiam eorum mansisse, usque ad tempus absoluti Talmud. Hac in sententia, ex Christianis sunt, Antonius Rodol. Cevallerius in rudimentis Ling. Heb. c. 4. Petr. Cevall. ib. in annot. suis. Matt. Flacius Illyr. Clav. Script. Par. 2. Tract. 6. p. 644. Marc. Marin. Præfat. lib. sui Heb. Gvil. Postell. lib. de orig. c. 6. & in lib. de Hetruriæ orig. p. 113. Auctor Margaritæ Philoloph. p. 115. ubi cum primis notatu dignum apparet, quod scribit: *Quamquam autem non ab initio legis, puncta fuisse dicant, sed a præstantissimo legis doctore, Esra, super addita perhibeantur, post Babyloniam Judæorum captivitatem, id ipsum tamen intelligerem, non de omnibus punctis, quibus modo utuntur, siquidem aliqua semper extitisse credo.* Nos autem dicimus puncta cœva esse literis. Non enim censendum aliquod, quo Hebræa lingua, notis vocalium expressis, destituta fuerit, tempus extitisse, licet non in cunctis, in iis saltem, ubi opus erat libris. Quin & Orientales linguæ, suas vocales habent, cœvas con-

consonis ; Arabum scripta, & sacra & profana, quam plurima, suis vestita leguntur vocalibus; Unico olim puncto, in antiquissimis Alcorani exemplaribus, diversas innuebant vocales, pro ut vel supra literam, vel infra, vel in ventre, ponebatur. Paulatim figura hæc rotunda, in transversum, vel cubantem, apud Occidentales, mutationem sortita est suam; declinantem vero, seu acclivem, a dextra sinistrâ versus, apud Orientales, in denotandis vocalibus a, e, & i: o vero & u semilunula significabatur. Prioris punctationis fidem facit, elegans Alcorani, caractere cufico exarati, fragmentum; posterioris, apud occidentales, aliud venerandæ vetustatis monumentum, a Johanne Marquardo a Königsech, libero Barone A. 1535. 20 Julii, in expugnatione Thuneti, Metropolis Barbariæ, in Europam allatum, & ab Amplissimo Reipubl. Sangallensis consule, Sebastiano Schobingero, posteris benignè comunicatum; apud orientales, ob-

obvii quique Arabum libri. Eadem ratio Syrorum, Chaldæorum &c. Eos etiam vocalium expressis notis, minimè destitutos fuisse, nulli dubitamus. Idem nobis, de lingua etiam Hebræa persuasissimum est. Hæc solum incidenter; non esse hæc, a mente Hebræorū aliena, quod, haud obscure colligi potest, ex iis, quæ habet Buxt. de orig. punct. p. 190. Nonnulli puncta הלכה משה מסיני traditionem Mosis è monte Sinai, appellant; sic quidem, ut ad quorundam placitum, Moses figuras punctorum, non tantum a DEO nactus fuerit, verum etiam scribendo expresserit; juxta alios vero, orali tantum traditione, ad tempora Esræ propagarit, qui primus, illas scribendo expresserit; patroni hujus sententiæ haud pauci sunt Judæi; quorum habet nomina Buxt. de orig. punct. p. 313 testimonia vero p. 1. c. 3. & 4. Nec desunt, qui punctorum Auctorem Esram, & Syndrium magnum faciunt, ut Ephodæus, R. Abarbanel, R. Chajim, imo plerique Hebræi apud Buxt. de orig. punct. p. 313.

El. Lev. in Mas. Hamm. figuras voca-
 lium, circa annum 500 a Masorethis Ti-
 beriesibus inventas esse probare co-
 natur. Ejus, ex Christianis, Ludovicus
 Capellus suscepit patrocinium, quem
 duobus, Joh. Buxt. refutavit libris. Eli-
 am, priusquam hæc quæstio accuratius
 a Buxt. discussa fuit) Theologi &
 Philologi celeberrimi sequebantur; ut
 Calvinus in Zach. 12. v. 7. Zvingl. præf.
 in comment. Complian. Isa. t. 3. Pellican-
 præf. in Pentat. Fagi. Not. ad Targ.
 Genes. 47. 24. Drus. ad loca difficiliora
 Pent. alibi tamen dubitanter loquitur, in
 Tetragram. & quæst. t. 2. q. 33. Piscat. Schol.
 ad Gen. 15. 8. Luther. circa fin. schem.
 hammephor. Adhuc sunt, qui circa an-
 num Christi 476. vel 478. a R. Aharone
 ben Aser & Jacobo filio Naphtali, pun-
 cta inventa esse asserunt. Ita Elias, Gor-
 donus, Genebrard. in Chronol. p. 181.
 Verum hi turpem *ἐναντιολογίαν*, & pa-
 rachronismū committunt. Binos namq̄
 istos sapientes, ad tempus dissipationis
 tcho-

scholarum Babyloniarum, ad annum
 scilicet (æræ nostræ Christianæ) 1037
 reponit, Auctor Chronici Ichal scheleth
 Haccabbala f. 37. Ast hoc si verum, se-
 quitur nimis recens. imo longè, re-
 centius, quam cum Elia opinatur Gor-
 donus, punctorum inventum. Licet au-
 tem fateamur antiquius omnino, duo-
 bus istis Judæorum sapientibus, affig-
 nandum esse tempus, (in vivis enim
 fuere, quando scholæ, tum Babylonæ,
 tum Judææ, adhuc superfuerunt, &
 Judæorum utrobique fuit multitudo,
 quæ horum duorum, seu Antesigna-
 norum, dissidentes sententias, sequuta
 est, quod post annum, a nato Christo 230
 vel præter propter contigit) non tamen
 punctorum auctores, ut ipsos statuamus
 necessum est: tum quod Elias fatetur,
 post foundationem demum punctorum, &
 accentuum, dissonantiam illam (un-
 de suam, vult probare sententiam) fuisse
 scriptam; sic enim præf. 3. libri Maso-
 reth Hammalareth: *Non est dubium in-*
quit

quæ *quin* (dissidia inter Ben Ascher & Ben Naphtali, de punctis & accentibus) orta sint postquam inventa sunt, puncta, & accentus: tum quod res ipsa ostendat, non in punctis & vocalibus, primitus textui adscribendis, sed in iisdem, jam ante adscriptis, eos dissensisse: Hæc, de inventoribus punctorum, dicta sunt.

MOM. SEXTUM

Ad ductis sic in Scenam, variis variorū, de inventionione punctorum vocalium, Judiciis. Ad earundem jam vindices, commentariolum nostrum sese vertit, quorum numero post Esdram, & collegium Sacrum, non postremas, Masorethis Tiberiensibus, assignamus partes. Illi tamen nova, non addidēre puncta, sed alia, à prioribus diversa, ne adderentur, diligenter servavēre. Videatur Comm. Mas. Buxt. c. 9. & de origin. Punct. p. 2. c. 6. 7. 12. ubi egregiè, & nostro quidem iudicio, ἀναντιρρήτως probatur, Tiberienses magis cavisse, ne in receptam, & approbatam punctationem,

D

ali-

aliqua irreperet corruptio, quam ut no-
 vos appingerent vocalium apices. Hos,
 in conservandis punctis; excepere, Ben
 Ascher & Ben Naphtali, de quibus
 Buxr. de orig. Punct. vocal. P. 1. c. 15.
 Eos, Masorethicis, addictos fuisse stu-
 diis, in vocalibus, & accentibus cum pri-
 mis examinandis, verum est. Unde dis-
 sensiones inter ipsos exortæ, de punctis,
 primò vocalibus, Cholem, Kamezcha-
 taph, Kamez magno, Patach, Scheva,
 & Chatephpatach. 2. Umbilicalibus,
 Dages et Raphe. 3. Accentualibus, Me-
 theg. Makkaph, Munach, Paschta, ac-
 centibus minoribus: in unica etiam vo-
 ce Cant 8. 6. *שלהבת ייה*, Ben Ascher, u-
 nicam vult esse vocem; Ben Naphtali
 duas. Unde exemplar filii Ascher, tan-
 quam correctum aliquod, & ex variis
 collatum exemplaribus, cum primis lau-
 datum Maimonidi, in Hil. Seph. Thora.
 c. 8. S. 4. Ubi sic sermocinatur: *liber au-
 tem, cui innixi sumus, in rebus istis, signan-
 dis scilicet sectionibus clausis & apertis,
 est liber celeberrimus in Ægypto, comprehen-
 dens*

dens omnes viginti quatuor libros (Biblicos) qui a plurimis annis, fuerat Hierosolymis, ut ex eo corrigerentur libri: (qui videlicet describebantur) & huic libro omnes innitebantur, eo quod eum correxisset Ben Ascher, & multos annos, diligentem in eo operam navasset, multotiesque eum recensisset, cum eum transfudit. Istum itaque librum sequutus sum ego, in libro legis, quem descripsi, juxta ipsius normam, & formam. Buxt. de Punct. p. 274. Tertio denique loco ponimus, Grammaticos antiquissimos, qui ante 600. 700. vel etiã 800 años vixere, quorum, Aben Esra, Kimchius Ephodæus, subinde mentionem faciunt. Atque hi in genuinæ, legitimæque punctationis conservationem, diversas lectiones observando & consignando, haud contemnendam contulerunt operam. Exempla apud Buxt. de orig. vocal. p. 355. prostant.

MOM. SEPTIMUM.

In vocibus i. genuinam ipsarum scripturam & lectionem, diversitate aliqua obvia, annotarunt. Hæc autem

notari meretur, lectionem & scriptio-
nem, a Masorethis dici וקרי כתיב quibus
usi sunt vocibus, quandocunque aliquid
aliter, quam in textu scriptum erat, le-
gendum innuebant; utpote aliquando in
voce, literæ occurrebat defectus, ali-
quando redundantia, nonnunquam lite-
ræ unius, in aliam permutatio, interdum
transpositio. Defectum autem nota-
bant, & quidem vel literæ unius: tum in
principio, ut 1. Reg. 15. 18 מלך scribitur
pro המלך Rex. 1. Sam. 20, 2. עשה pro
יעשה faciet. Tum in medio. 1. Sam. 18.
v. 1. ויאהבו pro ויאהבה dilexit eum
1. Sam. 17. v. 23. ממערות pro ממערות de
aciebus. 2. Sam. 21, 12. תלום pro תלום
suspendunt eos. 2. Sam. 22. v. 8. ותגעש
pro ויתגעש & commota est. Tum in fi-
ne, Jos. 24. 3. וארכה pro וארכ & multi-
plicavi. Neh. 12. 46. ראשי pro ראש ca-
pita. Vel literarum plurium, adeoque
totius dictionis, cujus puncta adsunt, de-
ficientibus literis. Ut jud. 20. 13. in tex-
tu ponuntur puncta ..: pro בני filii. Ruth.
3. 17. ponuntur puncta .. pro אלי ad
me

me. 2. Sam. 8. 3. in fine ponuntur puncta
 ; pro פרת Euprates. 2. Sam. 16. 23. po-
 nitur Chirech pro איש vir. 2. Sam. 18, 20.
 scribitur .. pro כן. Sic 2. Reg. 19, 31. scri-
 bitur Scheva cum Camez : pro צבאות
 exercituum: bid. v. 37. ponuntur puncta
 pro בני filii ejus. Cap. 20. 13. ponitur
 pro כל omnis. Jer. 31. 38. scribitur. pro
 כנים venientes. Quorum omnium pun-
 ctorum literæ, extremitati sive margini
 adduntur textus, ex censura Masorethi-
 ca, cum nota ista: קרו ולא כתוב hoc est,
 legitur (hæc vel illa dictio) & non scri-
 bitur (in textu). Redundantiam. Et i-
 terum vel literæ unius, tum in princi-
 pio, 2. Sam. 10. 9. ישראל pro ישראל
 Jerem. 4. 5. scribitur ותקעו pro תקעו clan-
 gite. Jer. 50, 8. יצאו pro יצאו egrēdimini.
 Tum in medio, Psal. 16. 10. הסודך pro
 הסודך Sanctum tuum. 2. Par. 5. 12. pro
 מחררים extat מחררים clangentes. Tum
 in fine, Jer. 3. 4. קראת pro קראת vocasti.
 Jos. 24. 8. ואביא pro ואביא & ad-
 duxi. Vel literarum plurium, adeoq; in-
 tegræ dictionis, cujus literæ scribuntur,
 pun-

punctis vocalibus omissis, quæque pro-
 pterea, juxta notam Masorethicam, in
 margine adjecta est, כתיב לא קרי, scri-
 bitur quidem sed tamen non legitur. E-
 jusmodi sunt, 2. Reg. 5, 18. נא quæso,
 Jer. 39, 12. & 2. Sam. 15-21. אם si. Jer. 51, 3.
 ירר calcabit. Permutationem. i. Singu-
 larum literarum, idque literæ ejusdem,
 diversi situs, El. 9. 7. Mem finale, seu
 clausum מ in medio dictionis scribitur
 למרבה pro למרבה ad multiplicationem.
 Contra, Mem apertum in fine scribitur
 Neh. 2. 13. הם ipsi pro הם. Job. 38, 1.
 מן scribitur pro מן de. Vel literarum diver-
 sarum, Prov. 20, 4. ושאל pro ושאל &
 petet. Pl. 77, 12. אזכור pro אזכור recor-
 dabor. Jer. 6, 25. תצאו pro תצאו exi-
 bitis. 2. Par. 11. 18. בן pro בת fi-
 lia. 2. Reg. 25, 17. אמר pro אמר cubiti.
 Ezech. 14, 4. בה pro בא venienti. 2. In-
 tegrarum dictionum, quæ aliis, in textu
 scribuntur, literis, aliis vero legendæ, a
 Masorethis offeruntur. Pro voce שגל
 vitiavit, quam pro obscœna habent) no-
 tant legendum esse שכב accubuit,
 Deut.

Deut. 28. 30. 2. Reg. 18. v. 27. pro
 שוֹבוֹתָם legendum מיִמֵּי תְּגִלְיָהֶם aquas pe-
 dum suorum, h. e. urinam. Transposi-
 tionem. Jud. 16. 26. וְהִימְשֵׁנִי pro
 וְהִמְשֵׁנִי & fac palpare me. 1. Sam. 14,
 28. וְתִאֲרָנוּ pro וְתִאֲרָנוּ & illuminari
 sunt. Efr. 4, 4. מְבַהֲלִים pro מְבַלְהִים
 conturbantes &c. 2. In vocibus notarunt
 Malorethæ, ubi cum literis quiescenti-
 bus fuerunt scriptæ plenè, vel absque
 iis defectivè. Plenè autem vel defectivè
 scriptæ dicuntur voces, quæ cum literis
 וּ vel י vel absque iis scriptæ sunt: ut
 Gen 1. 12. וְתִצֵּא ter in scriptura legitur,
 bis plenè scilicet cum vau in medio, ut
 hoc loco, & semel defectivè. Item מֵאֲרָת
 Gen. 1, 14. bis reperitur, utrinque defe-
 ctivè scriptum, scilicet cum vau in me-
 dia & ultima syllaba. Item וַיִּצַר Gen. 2, 7.
 scribitur cum duplici י. 3. situm & locum
 ipsarum, in principio, medio, vel fine
 versus, & quam formam, vel per se, vel
 propter accentum aliquem habuerunt.
 Sic Gen. 1, 2. וְהָאָרֶץ octies initium esse
 versus observare. וְלֹכַל Gen. 1. 30. quater
 ver-

versum incipere notarunt, quorum loca in fine Deuteronomii, adducuntur. Sic innumera alia notarunt, imprimis ea, quæ rarius versum inchoant: sic **ת** decies initium est versus in Deut. quater in Jeremia. **יכר יכר** ter reperitur in medio versu, ut notat Masora Gen. 6, 4. Undecim versus sunt, quorum principium, & medium, est **וכל** Gen. 2, 5. Duodecim versus sunt, in quorum principio, & medio est **ו**, Exod. 21, 3. 4. Structuram & conjunctionem earum, cum aliis vocibus, vel compositionem, cum literis servilibus: ut verbum **אמר** dicere, cum **אלהים** pro dicere ad DEUM, novies junctum reperitur, quorum loca citantur in Masora magna, in voce **אלהים**. Sic verbum **אתה** cum **אלהים** pro timere DEUM, septies reperitur, quorum loca recenset Masora, Gen. 42, 18. Verbum **שמע** cum Præpositione **על** constructur duodecies, alias semper cum **אל** loca 2. Reg. 20. adducuntur. Sic etiam voces, cum servilibus conjunctas, numerarunt, sed nomina maximè cum literis

אֵל ab initio, quando vel cum Scheva,
 & cum Patach punctata fuerunt, sequen-
 te dagesch. 5. Significationē notabant, ubi
 amphibolia, & ambiguitas id requisivit
 ut Gen. 8. 11. אֵלָהּ pro significatione folii
 notarunt. Nam alias אֵלָהּ, est ascende,
 Gen. 19, 8. ad אֵלָהּ לַיְלָהּ nocto
 sunt in significatione profana, sive comu-
 ni, usurpata, cum alias vox ista Deum si-
 gnificet. 6. Sæpe etiam voces vocalibus
 & accentibus differentes, ubi peculiaris
 quædam observatio aut differentia, id
 postulare videbatur, notabant. Sic Gen.
 16, 13 in Masora parva ad אֵלָהּ traditur,
 non existat amplius cum Cateph Kametz.
 Et hoc hanc quidem ob causam, quia ir-
 regularē videbant esse, talem vocalem,
 sub litera non gutturali, poni, quibus,
 Scheva compositum, propriè competit.
 Gen. 1, 5. ad אֵלָהּ Masora magna notat
 אֵלָהּ אֵלָהּ אֵלָהּ אֵלָהּ אֵלָהּ אֵלָהּ אֵלָהּ
 i septem sunt cum Kametz, quo-
 rum loca adducit. Nempe ut hæ di-
 stinguerentur a אֵלָהּ, quorum tredecim
 sunt.

In versibus annotandis, bifariam præcipuè, operam suam locavêre Masorethæ: primo enim integros numerarunt versus, atqve singulorum librorum medium notificarunt, utpote liber judicum; versus continet 618, quorum medius *confregerunt & conqvasarunt* Cap. 10, 8. Lib. Sam. bini pro uno computati, 1506 medius; *mulieri illi erat vitulus saginatus.* I. Sam. 28, 24. Elaijas 1295: medius, *sed ibi magnificus erit Dominus nobis* cap. 33, 21. Jeremias 1365: medius, *Et dixit Chananja* cap. 28, 11. Secundo varias & peculiâres ipsorum affectiones, in vocibus, & literis, notandas occurrentes, considerarunt, easqve virgulâ notarunt censoriâ, ut quod viginti duo versus esse notantur, in quibus *לֹא אֶרֶךְ וְלֹא זָעִיר* neque longa neque brevis occurrit, hoc est, neque *ו* neque *י*. Duo reperiuntur versus in lege, qui a litera *ו* incipiunt, Exod. 32, 8. Num. 14, 19. Item duo versus quorum singulæ voces in *ו* exeunt Gen. 32. 14. Num.

Num 29, 33. Item unus versus, singulas
 alphaberi literas, etiam quinque finales
 continens, notatur. Soph. 3, 8. Pariter
 duo sunt versus, ubi quater extat **וְדָנָה**
 nempe Gen. 22, 7. 1 Reg. 20, 14. Unus
 versus notatus est, constans ex quadra-
 ginta quinque vocibus, quæ habent li-
 teras centum & Sexaginta, is legitur
 Jerem. 21, 7. Tres versus sunt, quorum
 singuli habent octoginta literas, ut no-
 tatur unus in Malora, Num, 36, 8. Tres
 versus sunt, in quibus singulis extat se-
 mel **נָל** & quater **נָלָה**, ut Num. 11, 19,
 ubi alii duo recensentur. Tres versus
 sunt in lege, qui incipiunt a **ו**, & de-
 sinunt in **ו** ut Exod. 29, 30. ubi reliqui
 duo adducuntur. Tres versus similes sunt
 in quibus primo legitur **וְדָנָה** deinde qua-
 ter **וְדָנָה** tum rursus **וְדָנָה**: ut Jerem. 27, 3. ubi
 alii duo afferuntur. Tres versus sunt,
 quos incipit, & finit nomen Divinum
וְדָנָה, ut Deut 31, 3. ubi alii adducuntur
 Quatuor sunt versus, in quibus sin-
 gulis semel est **לָע** & ter **לָע** ut Ezech
 10, 2. ubi reliqui enumerantur. Quatuor

sunt versus, in quibus singulis, quin-
 quies extat vocula תא , ut Exod. 40, 18.
 ubi Masora omnia adducit loca. Quin-
 que sunt versus, in quibus singulis, sunt
 quinque voces continuæ, e duabus con-
 stantes literis, ut לגם לי גם לך לגם 1. Reg. 3
 26. ubi reliqui citantur. Septem sunt
 versus, in quibus singulis extant quin-
 decim voces, septem hinc, & septem
 illinc, media autem, est diversæ scrip-
 tionis, & lectionis, ut 1. Sam. 13. 19. ubi etiã
 reliquos, annumerat Masora. Octo sunt
 versus, in quibus nomen חטא peccatũ,
 construitur cum verbo עשה facere, ut
 Ezech. 18, 21. Novem sunt versus, in
 quibus sunt duæ voces synonymæ con-
 junctæ, quarum interpretatio una est,
 quales קנתי ושבתי senui & canui 1. Sam.
 12, 2. Decem versus in lege sunt, quo-
 rum prima & ultima vox eadem est,
 ut Lev. 7, 19. Undecim versus sunt, quo-
 rum prima & ultima litera est ד , ut Le-
 vit. 13, 9. Ps. 77. v. ultimo. Hujus ge-
 neris plurima, imo innumera ferè alia,
 quæ in versibus annumerandis, Malo-

rethæ annotarunt, possent proferrî, nisi brevitatis ratio calenti frænum injiceret calamo.

M O M. N O N U M.

Ut accuratos sese in omnibus minutissimis etiam annotandis præbuere, sic etiam ne aliquod, ex intermissu accentuum, dubiolum aut error subreperet, ideo nec eos, intactos a Criticis relictos esse, Hebræorum constanter tradunt monumenta. Primum autem פּוֹסֵם sive Pausatorem, (ut ita dicere liceat, ad Hebraicæ vocis emphasin exprimendam) Esram constituunt, unde etiam appellatur Pausator, quod verus destinxit, ut loquitur Aben Esra ad cap. 9. vers 27 Ester. vid Buxt. de orig. punc. P. 1. p. 17. El. lev. in lib. Masoreth Hammasoreth. Verum ut ad rem accedamus. Quoties vox aliqua, alicubi accentu non communi notabatur, tum accentum annotarunt, & talem eo in loco, requiri accentum monuere, licet ejusmodi vox tali, communiter non

notetur accentu. Sic E. G. Nomen בן filius, cum accentu Tonico, semper habet Tzere, sed ante Makkaph, habet Sægol. Hæc quidem communis est regula: sed Masora, vocem בן septies cum Zægol, & accentu Tonico, & quater cum Tzere, ante Makkaph, notari annotavit. Similiter Jon. 1, 3. verbum בנה cum accentu, in ultima occurrit syllaba, Masora parva in margine annotat, hoc verbum undecies in Bibliis inveniri cum accentu מלרע hoc est, in ultima syllaba.

MOM. DECIMUM.

ENucleatis sic, rudi licet Minerva, annotationibus Masoretharum, quæ ad materiam pertinent, instituti ratio efflagitat, ut ad formam nosmet convertamus, ubi Masoræ dispositionem, nec non exscriptionem, uno atq; altero verbo pensitabimus. Sciendum autem, qualem nos jam, in impressis habemus libris, formam & Methodum Masoræ, non olim in manu scriptis fuisse. Nam ad Biblia sive separatim, sive ad textum

spar.

sparsim. hic labor primitus non fuit ad-
 scriptus, sed in separata folia, & in libros
 separatos, quos docebant & explicabant
 in Scholis publicè, ut omnes, artis hu-
 jus Masorethicæ usum, intelligerent,
 ac modum perciperent accommodatissi-
 mè, quo textum scripturæ sacræ, ab
 omni conservarent corruptione, inviola-
 bilem. Etenim Materia Masoræ, longè
 fuit amplior & copiosior, longèqve ube-
 rior & fertilior, quam ut vel margo
 Bibliorum, vel ulla area, locus capacior
 & patentior, eam capere potuisset, tum
 etiam quod longè commodius & utili-
 us, ex libris separatis, ad Biblia appli-
 cari, notatis cum locis conferri, a plu-
 ribus fructuosius legi, intelligi & usur-
 pari, sic potuerit. Ne vero ipse tex-
 tus Biblicus, omni planè Masora, ejus-
 que usu, in universum destitueretur,
 extraxerunt iidem Masoræ auctores,
 ex magno isto Masoræ opere, notas
 brevissimas, quæ partim per nudas li-
 teras numerum exprimerent, quoties

vox aliqua extaret, partim per voces a
 fine decurtatas, partimque per abbreviaturas, quasi nutu, mentem majoris
 Masoræ significarent, partim deniq; per
 symbola peculiararia, in lingua Syro Hie-
 rosolymitana, proposita, quæ quasi æ-
 nigmaticè loca sive versus indicarent,
 in quibus vox aliqua sæpius occurrebat.
 Ad quam autem, sive quas voces, in
 textu, hæ notæ referri deberent, super
 eas circulum in textu ascripserunt: si
 ad duas pluresve voces, conjunctim re-
 ferenda nota esset, hunc circulum po-
 suerunt ad mediū istarū vocū. Hac de re
 placet nobis verba Eliæ Lev. apponere,
 quæ ita audiunt in præf. 3. Masor. Hañnas.
*Præterea quod reperitur scriptum, in margini-
 bus librorum (Biblicorum) non est nisi com-
 pendium, ex Masora magna, constat enim Masora
 auctores, non scripsisse verba sua, circa mar-
 ginem, cum brevius ibi fuerit stratum, quam
 ut extendere se in eo possent, Et cortina minor,
 quam ut continuisset omnia verba ipsorum, sed
 scripserunt ista, in separatos quaterniones, sive
 separata folia, docueruntque ea publicè, donec
 diffun-*

diffunderentur exemplaria ista, utro citroque inter plurimos. Ex hisce clarescit notas Masorethicas, initio quidem, ob materiæ copiam, quæ, asserente Elia, ipsum, quantitate, excessissent contextum sacrum, separatim editas fuisse: deinde autem paulatim, ornatus ferè gratia, ipsi adjectas margini, cujus specimen, ex variis Msc. Masoræ Schedis collectum, primus dedit, R. Jacob, filius Chajim, in edit. Bomberg. Veneta, quem postea Buxr. sequutus est. in edit. Basiliensi. Ex hisce in medium allatis, exsurgit Masoræ divisio, in magnam & parvam: Masora magna est, quæ totam comprehendit Criticam, cum plena locorum scripturæ enumeratione, quæ quæque nota Critica, suo designat numero. Et hæc vel finalis, quæ separatim extra textum scripturæ, in fine Bibliorum ponitur. Vel Textualis, quæ conjunctim cum ipso textu, in superiore & inferiore, interdum etiam marginali ejus ora proponitur. Masora parva est, quæ literis numeralibus, vocibus decurtatis &

42
symbolicis, notatis insuper diversis lecti-
onibus, describitur. Ex hac, decerptæ
quædam notæ, maximè necessariæ, Bib-
liis vulgo usitatis, in margine adjici-
untur.

MOM. UNDECIMUM.

Sicut omnis actio, propter certum sus-
cipitur finem, ita neque Masorethæ,
immane ejusmodi opus, frustra aggressi
sunt, sed propter utilitatem maximam,
ut scilicet ab omni mendo & universali
errore, immunes & defœcati, sacri He-
bræi ad posteros propagarentur libri. U-
tilitatem illam & finem Masoræ, expri-
mit El. Levita præf. 3. lib. Mal. Hañas.
*Post laborem illum inquit, quem præstiterunt
Masorethæ, impossibile est quod inciderit aut
incidere possit in posterum, varietas aut שנוי
mutatio quædam, ullo modo, in ullis libris scri-
pturæ. Non enim frustra dixerunt Rabbinii
nostri מסורת סוג לתורה Masora est sepes le-
gis. Ex Christianis id agnoscit Joh. Reuchli-
nus in speculo oculari; Ubi ita loquitur:
Non scio ullam nationem quæ plus cura &*

attentionis habet, sacram scripturam purè & verè conservandi, quam Judæi. Sic enim eorum Biblia, ad regulam sunt examinata, ut constet quot versus, sive cola, quæ םקסוּפּ illi vocant, quilibet liber Biblicus in se contineat. Scitur etiam quoties, & quo loco unaqueque dictio in Bibliis extet: Certa de illis, in Bibliis melioribus est Masoreth, quæ sunt scholia quædam, ex quibus constat, num vel litera aliqua redundet aut deficiat. Sic Marcus, Marinus, Canonicus Sancti Salvatoris, Romæ Veneritii, Lexicon edidit Ebraicum, in cuius præfatione, Masoram, his commendat verbis: Ne plura, inquit errata in lege irreperent, provisum est ab Ebrais, Esræ tempore, opere illo admirabili; quod Masoreth appellarunt, in quo, ordine & modo propè Divino, omnia quæ in Bibliis sunt, annumerarunt, & quot, quoque modo Scribantur, edixerunt. Eadem habet Benedictus Arias præfatione in Pentateuch. Bibl. Regior. ubi dicit: In illo Thesauo, quam Masoreth appellant, tanquam in sacra & fidei quadam custodia, summa diligentia, &

magno studio, constituta, antiquæ lectionis
 reliquæ, monumenta, indicia, vestigia, exem-
 plaque omnia continentur, & ratio conferendæ
 novæ & veteris lectionis ostenditur: ex qui-
 bus quidem, simul collatis, certa quædam via
 extat, ad cuius præscriptam normam, sacra
 mysteria indicari possunt. Nicol. Fullerus
 Britannus, in Miscel. sacris lib. 3. cap. 13.
 hac de re ita loquitur: Quo consilio (ve-
 ritatem Hebraicam intemeratam cu-
 stodiendi) excogitata est, a peritissimis Ju-
 deorum magistris, sublimis ars & curiosa,
 quam Masoreth dixerunt, hoc est, traditio-
 nem, vel rationem accuratissimam, tradendi
 per manus posterorum, scripture sanctæ Ca-
 nonem, purum semper integrumque. Cujus
 beneficio, non vocabula duntaxat, sed ipsas et-
 iam literas, in numerato habent: adeo ut nul-
 la, ne minima quidem mutatio, inveni queat:
 ab hominibus, aut indoctis, aut oscitantibus,
 aut temerariis, quin è vestigio facile depre-
 hendatur. Unde non ineptè ab ipsis dicitur
 סג לתורה quasi septum veteris instrumenti,
 ad omnem inde labem metumque depravatio-
 nis

nis submovendum & propulsandum. Plura qui
 desiderat, adeat Schikkar. Bechin happ.
 p. 51. Gvadagnol, apud Haksp. p. 332.
 Sim. de Muis. de adit-verit. Heb. c. 7.
 Aben Esra in Exod. c. 25, v. 31. Buxt:
 in Comment. Masor: Ex quibus patet,
 quantum Divinæ bonitatis argumentum
 sit, quod sepimento istoc Masorethico,
 sacra Biblia circumdari; & ab omni cor-
 ruptela & errore, præmuniri, industria
 sapientissimorum hominum, voluerit.
 Ad hujus rei uberiores illustrationem,
 nonnulla ex sacro codice, exempla, in
 medium adducemus. Sic Gen. 19, 2, in
 textu scribitur הנה cum Sægol, alioquin
 semper cum Tzere scribitur, excepto
 hoc loco. Masorethæ igitur, ne quis
 Sægol istud in Tzere mutaret, adscrip-
 serunt hæc verba: omnia הנה significatio-
 nis הנה ecce, sunt cum Kametz parvo,
 (id est, Tzere) excepto uno, cum Patach
 parvo (hoc est, Sægol) quod est hoc
 ipsum. Ibid. v. 23 scribitur in textu,
 נאן prodibat, Masoreth parva annotat

כִּבְרוּךְ יִצְחָק tria putantur esse debere,
 יִצְחָק hoc est, in tribus locis (quorum
 duo reliqui in Masora magna textuali al-
 legantur) putare aliquis posset, in textu
 scribi debere, יִצְחָק quia scilicet שְׂמֵשׁ sol
 (quod præcedit) plerunq̄ fœmininè u-
 surpatur, Exod. 22. 3. Temeritatem igitur
 correctionis, hac nota præcavêre volue-
 runt Masorethæ, ne quispiam sciolus au-
 dacius quicquam, in sacra scriptura mu-
 tare attentaret. Plura, in mediū adducere
 exempla, super sedemus, siquidem in le-
 gendo & pervolvendo sacram scripturam,
 ad satietatem usque ejusmodi ob-
 via habebit, Benevolus Lector. Hoc so-
 lum addimus, parem videlicet aliorum,
 imo quæ majoris sunt momenti &
 ponderis, esse rationem. Heic
 manum de tabula.

GLORIA IN EXCELSIS DEO !!!

*Eruditione, morumque integritate, Ornati-
tissimo Juveni,*

DN. ERICO CHOSELIO,

Hujus suæ Disputationis defensori in-
genioso, Sympatriotæ atque ami-
co conjunctissimo.

CARMEN GRATULATORIUM.

Dum Tu **CHOSELI**, quem sat coluisse Ca-
mænas

*Insigni cura, monstrat Et hocce docet
Egregium specimen, Masoras svaviter,
atque*

*Egregiè mulcens, differis è cathedra:
Tunc ego non possum, quin me, gratantibus,
ipsum*

*Musis Adjungam Et, sed tacite, mo-
duler,*

*Murmure cum rancio, resonet mea vilis
avena,*

*Illam rigatam nec est, nectare Castalio.
Gratulor ex animo, sic Te versasse libellos,
Jam monstres factum, prosperi ut in-
genii.*

Pol bene sic instes, quosvis perferre la-
bores,

Te decoret lauro ut, clarus Apollo sua.
Adsis superi, demissa voce rogati,
CHOSELI cæptis, egregiis studiis!

In amicitiam perennaturam, distra-
ctus curis, qualibus non an-
tea, connexuit

Georgius Litonius.

Eidem:

EN tibi tractanti, Masoram perpete cura
Tempore succincto, quod superesse
putes.

Insomnes longo, veniunt examine, cura
Queis, justo, expedias Regia iussa, modo
Pergito sic Criticas, sacris connectere
curas,

Perge nec a cœptâ dimoveare viâ.
Cujus sunt cœli, cujus sunt flumina, tellus
Omnipotens tribuat, quæque secunda
Tibi!

Amoris & honoris ergo, gratula-
bundus scripsit

Joh. Danberg.

Virtus res superat cunctas, quas con-
tinet orbis,

Ignem nec illa perit, nec mala fata timet.
Non dentes curat ea, nec mala verba
nocentum,

Semper eam verè, gloria summa ma-
net.

Virtutem celebrem te comprobat ex-
coluisse

Auscultans Musis, hæcce Camœna
tua.

Gratulor ergo tibi, voveoque ex corde
fidei,

Ut DEUS æterni dives ubique boni,
Addat læta tuis studiis, ut prendere
metam

Possis optatam, cum tibi tumque
tuis!

*Præceptori suo dilectissimo
animitus adcla-
mabat*

Johannes Swarthaffra.

G

Om

Din mine Læpper nu af Hippocrenens
Källa/
En försmak hade / så at iag min Trögd
framställa
Förmätte denne dag / som J Præceptor
får /
Ehr Allters första frucht / för Auræ
strand framstår;
Det wore mig helt kiart / och borde wäl
så wara/
J th med Eder iag / mig plåclar fruch-
ter rara;
Men alldenstund iag en / ännu så wis-
da hindt/
Uppå Parnassi Högd / och på des branta
Klint/
Ut iag mitt Sinne kund / med nån dichte
samman bringa/
Doch goda Wilian bör uppfylla / det
mitt ringa
Förstånd / och spåda år / i Wårcket sielf
en rår:
Det iag fullfölia will med önskan / at J
får
God medgång til den bahn / som J från
ungdom spåda/
Med

Med Loford efter spant / samt wäl be-
 gynn påtråda /
 Och at J på den städz / än alla Edra åhr
 Nawänder Eder flit / til dess i Lönen får /
 Ut af Minervæ hand / i hwilkens School
 i kämpar /
 Och med ofelbar flit / Eyr til dess tienster
 lämpar.
 Min denne Dicht och Taal / iag nu wäl
 ända må /
 Och bidia HERREN GUD at J det
 Måål ernåå !!!

Desse få Radar / sin högedhrade kåre
 Præceptor, til Lyckönskan / wäl-
 ment yttrade

Lorentz Swarthaffra.

